

ACHITO

PADRI SOMASCHI	ACM	CASA MADRE
	3	
	1	
	1.5	

SOMASIA

ARCHIVIO  
ACM  
3  
1  
145  
SOMASCA  
PADRI SOMASCHI  
CASA MADRE

75 b

*Dava*  
N.S.  
*8. Aprile 1919*

ARCHIVIO  
SOMASCA  
CASA MADRE



Faint, illegible text impressions on the right page, possibly bleed-through from the reverse side. The text is mostly illegible due to fading and bleed-through.

**CONSTITUTIONES  
PRO NOVITIIS  
PRIMAE ET SECUNDAE PROBATIONIS  
CONGREGATIONIS**

**CLERICORUM REGULARIUM SOMASCHAE**

**AUCTORE**

**REV.<sup>MO</sup> P. MAURITIO DE DOMIS**

**PRAEPOSITO GENERALI**



**VENETIIS**  
**TYPOGRAPHIA GASPARI IMPR.**  
**MDCCLXV.**

CONSTITUTIONES  
PRO NOVISS  
PRIMAE ET SECUNDAE PROBATIONIS  
CONGREGATIONIS  
MAURITII DE DOMIS PRAEP. GEN.  
SALUTEM IN DOMINO.  
MAURITII DE DOMIS PRAEP. GEN.  
SALUTEM IN DOMINO.



DEVOTIS ADOLESCENTIBUS  
PRIMAE ET SECUNDAE PROBATIONIS NOVITIS  
CONGREGATIONIS SOMASCHAE

MAURITIUS DE DOMIS PRAEP. GEN.

SALUTEM IN DOMINO.

*Religiosae vitae, quam estis ingressi, viam, Adolescentes, perarduam illam quidem et salebrosam esse, ut quae recte ad caelum tendat, et iugis sit spiritus cum carne contentio subeunda, vel sacrae Paginae testantur. Verum eandem subinde planam et facilem fore, si generoso non solum animo, et obfirmata in difficultatibus superandis mente quis persistat, sed etiam si probe norit qua incedendum sit ratione, sciatque effugere ea offendicula, quae intercurrent, nemo est qui dubitet.*

*At vero illud cum primis enitendum, ut bene tirocinium sacrae militiae religiosus ponat, studeatque in bonâ primae aetatis, quae non minus ad vitium, quam ad virtutem facile flecti potest, indole, tanquam in cera purissima, insignes virtutes et probos mores im-*

DEVOTIS ADHÆRENTIIS  
FUNDAT ET SUSTINET HÆC CONGREGATIO  
CONGREGATIONIS SOCIETATIS  
MAGNIFICENTIA  
1710

primere; præclare enim *D. Bonaventura*, qui disciplinam in novae conversationis initio negligit, ad eam postea difficile applicatur (in spec. discip.). Assuetudine siquidem, et optimae disciplinae informatione fit, ut non solum laboribus obduret animus, et quod onerosum videbatur et molestum, leve iucundumque evadat; sed etiam ut a recta via nulla unquam in diverticula deflectat.

Quamobrem haec una maxime, *Adolescentes*, et nostrum, qui ad clavum Congregationis sedemus, et vestrum, qui nostrum institutum suscepistis, animum pulsare debet cogitatio, haec una coquere pectus cura: ut nos rectam vobis praescribamus in suscepto vitae instituto rationem, et vos præclarum religiosae perfectionis tirocinium mineatis. Nos (quemadmodum *D. Hieronymus ait* In Reg. Monac.); doceamus prima vos

fronte, *Filii*, magna coepisse, et excelsa sectari, et adolescentiae, immo pubertatis incitamenta calcantes perfectae aetatis gradum scandere; vos vero enitami recta pergentes ad virtutem viam, quam coepistis, ut perfecti viri evadatis, et milites veterani magnis conflictationibus, de hoste illustri victoria reportata, caelestis triumphus lauream, qui militiq; huius vestrae finis est, tandem assequamini.

En proponimus vobis nobilem in pietate et probitate institutionem; viam vobis commonstramus bene ineundae pubertatis et adolescentiae vestrae; rationem aperimus, qua religiosae perfectionis fastigium attingatis. Praeexercitamenta sunt ista, quibus, ut egregie prodeatis in campum, assuescendum est. Incumbite,

*quae vestrae sunt partes, ut piis institutis formati, probis moribus imbuti faces ita praeferatis consequentis aetatis, ut eius gloriae et honoris, quem in republica christiana nostra Congregatio consequi sperat et optat, spes omnis in vobis conquiescat; scite enim D. Ambrosius (Ad Th. cap. 3.), perfectio discipulorum gaudium et corona Magistri est. Quidquid a vobis praeclari, quidquid laudabilis, et honesti proficietur, in nostram, non minus ac vestram gloriam redundabit.*

## PROOEMIUM

### ET TOTIUS PARTIS DIVISIO.

**I**n ea semper cura versati sunt Patres nostri, et sedulo labores omnes in id praecipue direxerunt, ut nostrae Religionis iuventutem ad optimos mores, et praeclara vivendi instituta formarent: rati tum demum fore optime Congregationi consultum, si sanctissime Adolescentes educarentur: quaecumque enim incrementa, faustaeque Congregationis progressionis a bene instituta pietate, probisque moribus formata iuventute proficiuntur. Sed ut, si prava iuvenili animo semel inhaeserint, adeo firme, ac tenaciter insident, ut quo fuerit primum imbutus quisque odorem diutissime oleat; nec crebris etiam obiurgationibus possit abstergi: ita satis compertum est, magno Religionis incommodo, nil citius frigescere illo fervore pietatis, ac spiritus ardore, quo iuvenis Religionem ingressus suum Christo nomen dedit. Simul enim laxata paululum severiori disciplina, ac neglecta custodia, defervet e vestigio paulatim ille calor acquirendae virtutis; et ad meliora proficiendi desiderium tepet omnino, ni novi subinde hortationum igniculi ad nutriendas primo conceptas caelestes flammam subiiciantur. Mortales namque omnes sunt pravitate

naturae ad malum proclives: sed maxime omnium iuventus ad peiora trahitur veluti sua sponte, vegetiori sensu, vividiori aetate, hebetiori ingenio ad malum, stimulis quodammodo quibusdam agente; cui nisi fraenum iniiciatur, per abrupta omnia praeceps in obliquum abripitur.

Idcirco Patres optimo consilio sanxerunt, diplomate etiam Clementis VIII Pontificis Maximi ita iubente, ut non solum novitii, qui nostram vivendi rationem susceperint, optimis institutis, sanctissimis moribus, ad pietatem, ad regularem disciplinam erudiantur; sed etiam ubi prima Religionis rudimenta sub magistro posuerint, ac vota nuncuparint, secundam ineant probationem: alium animae cultorem habeant, quo iniecta verae pietatis semina teneris mentibus altius inhæreant: ac profundiores figant radices, ne, illa dum pullulant, vel daemones incursus flabra convellant, vel deficiente humore devotionis arescant. Huic aetati potissimum humani generis hostis nectit insidias, quam sicuti videt imbecillioem, ita suarum artium, ac fraudum putat magis rudem, et deceptu faciliorem. Quo circa vigili custode opus est; ne, quas scit divino ori sapidissimas esse fructuum primitias, fur nequissimus depraedetur. Admoliuntur ideo patres illius furori, ac nequitiae, impedimenta constitutionum, ac regularum septa; ne in iuvenum animarum hortum de facili transiliat, ac devastet, quos pietatis fructus emisserint.

Quas in tria praecipua capita partiemur, in quibus totius regularis disciplinae summa consistit, et vertitur cardo; in devotionem scilicet, obedientiam, et modestiam, quae Religiosum iuvenem apprime decent, ne ab illo scopo longe aberret, in quem addictus statuit collinere.

## DE DEVOTIONE.

Sapienter admodum, et Apostolicis effatis, et assertionibus Sanctorum Patrum statutum est, ut in hoc spiritali aedificio, devotionis imprimis solida fundamenta laeciantur, quo reliqua regularis disciplinae firmior, ac stabilior in sublime structura consurgat. Nihil enim bene putatur incoeptum, quod a vera animi pietate non exordimur; et quaecumque spiritalis moles erigitur, facile labefactatur, et labat, ni devotionis fundamento fulciatur. Curandum igitur summopere non solum novitiis, sed etiam iis, qui iam in nostra instituta iurarint (utrosque enim alloquimur in toto hoc libello, quorum gratia institutus est), ut amotis omnibus iis, quae aditum huic praestantissimae virtuti praecludere possunt, devotionem acquirant (quae nihil aliud est, quam illa promptitudo animi, qua strenue, et diligenter sanctis actibus inhaeremus) pinguedinem videlicet animae, spiritus adipem, tutamentum religionis: sine qua devolant bonae cogitationes, honesta desideria languescunt, inanes sermones male custodito excidunt oris; delassant primo statim nisu virtutum actiones, aut eas noxius tepor, et tristitiae languor inficiunt. Adquirent autem, si domitis omnino passionibus animi, et convulsis radicibus priorum sensuum, dumhis, qui devotionis sementem suffocant, mentem ad vera religiosae pietatis semina excipienda praeparabunt. Quod, quo difficilius, eo etiam acrius admitendum, ut virtutum prima noxiosissima im-



pedimenta tollantur. Arduum quidem est, hostes domi-  
 nos intestino bello ad internecionem animae usque depu-  
 gnantes domo exterminare, ex arce depellere, qua diu-  
 tina possessione potiti sunt, dum adhuc saeculo mere-  
 rent adolescentes, et e saeculi luxu in religiosae usque  
 districtionis scholam traducere: sed facile parient de  
 profligato hoste victoriam, et domi pacate soli domino  
 conquiescent, si se non suos esse, sed Christi memine-  
 rint; si, vel cum ira efferat ad rabiem, vel odium irritat  
 ad vindictam, vel voluptas titillat ad oblectationem, vel  
 ad aliqua minus licita desideria cupiditas trahit; efferve-  
 scentes statim impetus animi, motus illos noxios, ante-  
 quam perurgeat potentiores, compescent; et parvulos  
 Babilonis allident ad petram: si denique ex animo totos  
 moderandos, regendos praeceptori se dedent. Hoc acto,  
 non dubitent, quin cito virtutem devotionis acquirant.  
 Quae quo maiores in adolescentum nostrorum pectori-  
 bus amoris faeces exsuscitet; hic aliqua ipsius commoda,  
 praeter ea communia, quae quotidie nostris ipsis oculis  
 intuemur et fructus uberiores attexam.

In primis eam Ambrosius ordine primam virtutum,  
 et fundamentum caeterarum vocavit, quam nobis libet  
 perennem fontem omnium spiritualium honorum nomi-  
 nare: cum quidquid boni Religiosus animus possidet, ex  
 illa proficiscatur. Interiori pace Religiosum donat, qua  
 illi mundana sordescunt, humanae conticescunt curae,  
 nec ullae vanae sollicitudines pectus decoquunt; testante  
 Gregorio; si nos virtus devotionis in intimis afficit, omnis  
 strepitus pravae suggestionis obmutescit. Efficit quippe  
 totum hominem expeditum, et alacrem, ut et animo, et  
 corpore actus pius exerceat; nullus labor, anxietas nulla,  
 infestatio nulla est, qua non illa voluntatis alacritas, seu

promptitudo depellat. Quam qui habet, etiam si rudis,  
 et nullius litteraturae, clarius tamen Dei oculis, et ho-  
 minum enitet, quam qui vento doctrinae distentus tan-  
 tummodo, solam habet, quam vendidet, sapientiam, non  
 quas verae pietatis, ac devotionis exerat faeces. Melius  
 est enim, inquit Bernardus, devotum in minoribus, quam  
 indevotum in maioribus profectionibus invenire. Emicat  
 per se devotio nullo auxilio doctrinae, et adeo emicat,  
 ut ipsius fulgor nullis velaminibus, aut involucriis possit  
 obvelari, quin appareat, et clarissime aspectui omnium  
 illuceat. Devotio namque, auctore Cassiano, est fervor  
 bonae voluntatis, quem mens cohibere non valens certis  
 manifestat indicibus, sed illum suavissimum devotionis  
 fructum omnium plurimi aestimo: quod honorum operum  
 aviditatem generet; et praeter Deum, omnia fastidiat.  
 Quare elaborent enixe, desudent adolescentes in hac  
 adipiscenda virtute, et quam sciunt caeterarum basim,  
 et fundamentum, in spirituali aedificio, primam ponant;  
 sic enim fiet, ut quae deinceps superobruetur spiritualis  
 domus, nullos casus extimescat. Sed iam ad ea, quae  
 devotionem gignunt, ac alunt accedamus.

¶¶.

## DE DIVINO OFFICIO.

Eorum omnium, quae rudibus adhuc caelestium re-  
 rum adolescentum ingeniis pietatem erga Deum, et de-  
 votionem inserunt, vel insitam amplificant, et alunt, prin-  
 cipem arbitror ac potissimam, accuratam, diligentem,  
 devotam divini officii recitationem. In ea enim Dei omni-

potentia, bonitas, misericordia, beneficia erga genus humanum perspicue conspiciuntur, ex quo quaedam divini amoris scintillae in mentibus accenduntur, quae invicem devotionis excitant ignes. Insuper Angelorum officium usurpamus in terris, quo non terreno Principi, sed caelesti Regi, sed omnium rerum molitori, ac imperatori summo obsequimur: quod Angelicum munus, ut devote, diligenter, et accurate obeant nostri Adolescentes, haec monita subieciimus.

In cubiculo, quod intercurrit, officium per se quisque praeparabit: et mentem ante initium officii pia aliqua oratione, vel meditatione recolliget; cogitationum omnium vanarum tumultus abiget; et elevata ad Deum mente, gratiam ad pensum horarum rite persolvendum postulabit, et quam attentissime recitandum: quo eveniet, ut illum stuporem, ac desidiam, qua molestissime afficiantur vecordes ac frigidi Religiosi, devitent. Ideo enim, inquit Bonaventura, tam desides, et tepidi sumus in divino Officio, quia ante non sumus in aliqua devotione excitati, et ita, sicut intravimus frigidi, eximus corde dissoluti.

Dato campanae signo chorum adeundi, primum in aliquem locum convenient, ex quo bini, servato ordine antiquioris professionis, modesti, silentes, compositi ad Ecclesiam abscedent, praeceptore prius modico corporis flexu salutato. Chorum ingredienti, aspersa sibi signo Crucis aqua benedicta, genuflectent, et si sunt in Altari accendendae candelae, id efficient, qui illa Hebdomada officium moderabuntur: bini autem singulis hebdomadis in orbem regent, et inchoaturo ad notum superioris officium hebdomadario, qui semper erit Sacerdos, Clericus, ad quem tunc Phonasci, seu intonandi munus spe-

etabit, in medio choro consistens, invitatorium elata, clara, distincta voce recitabit; si quis autem tardius ad chorum venerit, praeceptori causam tarditatis patefaciet, si id ex desidia acciderit, illum magister acribus verbis accipiet, praecipue si id saepius facere assueverit. Caeteris Patribus sedentibus, si qui erunt Sacerdotes novitii, simul sedeant, caputque tegant; sed Clerici recti stent, donec a superiore, aut pro illo a Magistro sedendi licentiam acceperint, capite adaperto tamen, praeterquam in hyeme, nam tunc licebit pileolo caput tegere. Curabit etiam omnes, ut consona voce decantent: nec uno spiritu continenter versiculos psalmodiarum absolvent, sed ad duo puncta, suspensa ad momentum temporis voces respirabunt; nec alter pars chori, nec dum finito alterius versiculo, suum incipiet subsequentem. Optimum etiam erit ad evagationem mentis prohibendam, si non memoriter officium, sed legendo pronunciant. Errores terram deosculando genuflexi Clerici diluent, Sacerdotes vero manum, ipsa prius tacta terra. Quod si adeo vecordes fuerint, ut pluries erraverint, errorum culpam in medio genuflexi superiori fatebuntur, vel in triclinio ad praeceptoris arbitrium.

In fine cuiuslibet Psalmi ad Gloria Patri, et Hymnorum etc. modica, et gravi capitis inclinatione Individuam, et Sanctissimam Trinitatem venerabuntur: ad nomina itidem *Iesus*, et *Mariae* capite flexo paululum nostrae salutis auctorem, et piissimam parentem adorabunt. In Invitatorio ad: *Venite adoremus*, et ad: *Te ergo quaesumus*, ad *Te Deum laudamus*, terra tenus genuflectant. Sed ad: *Iube, domine, benedicere*, non ita profunde, sed palnum a terra altius, uti in usu, et more positum viderint. In omnibus autem circa Officium

efficiet Magister, ut demissis oculis modestiam, pietatem, ac devotionem praeserant.

Non digredientur e choro, nisi dato signo a superiore; quo accepto, deosculati prius simul omnes terram, eodem, quo venerant ordine, silentio et modestia discedent.

Et quia saepe evenit, ut Clerici ingrediantur, et egrediantur e choro ad exercenda ecclesiastica ministeria, in ingressu chori Sanctissimo Sacramento prius facta genuflexione profunda, superiori etiam paulum genuflectent, et suum quisque locum adeat: e contra vero in discessu primum a superiore modica genuflexione egrediendi petita vena, deinde Sanctissimo Sacramento ad terram usque submisso genu, ad sua munera abeant obeunda. Si vero non publica, sed propria causa e choro proficisci contigerit, praecceptori causam discessus aperiant, et obtenta licentia, Superiori dumtaxat, si aderit, eodem, quem praescripsimus modo, genuflectant, profundius autem admodum reverendo Patri Generali.

### III.

## DE ORATIONE.

Vocali quidem Oratione, de qua hactenus nostris Novitiis praecepimus, Angelicis choris suum officium praeripimus, et beatarum mentium munera exercere gestimus; sed mentali naturam quodammodo divinam induimus, et in eandem, ut ait Apostolus, imaginem transformamur. Ea enim veluti internuntia Deum intimius alloquimur, ipsius, et caelestium rerum amore ma-

gis succendimur, emollimur interius, tanti boni meditatione, et ab omnibus rebus humanis avulsi supra nos ipsos, et omnia creata efferimur.

Ea anima nostra immortales petit amplexus, dat suavia divinis labris, et mutuo sibi reddita devorat oscula, epulatur in illo aeterno convivio: in illo dulcissimo summi parentis pectore conquiescit. An non igitur tempus illud orandi, quo tantis bonis mens nostra completur, Christiano avidissime expectandum? an non avidius Religioso caelestem in terris vitam profitenti? nonne exclamandum, o felix hora, o brevis mora omni melle dulcior, omni cibo, ac potu suavior, qua efficimur divinae naturae participes? Sed nostri instituti non est, hoc praestantissimum religiosorum operum laudare; cum eorum mentes etiam, et corda, quae tanta dulcedine diffluunt, et tam pleno voluptatis torrente inebriantur, haurire sciunt sapidissimos latices, loqui nesciant. Hortabimur tantummodo Novitiorum Magistrum, ut omnem det operam, quo Orationi virtutum omnium moralium nobilissimae, quam addictissimi sint, quos regit, Adolescentes: non solum, ut devotionem augeant, quae mire crescit hac in Deum mentis elevatione, sed etiam ut illos minus suscepti pigeat instituti, cum viderint humanas delicias, ad illas caelestes, omnino fatuas esse, ac veluti putidas expuendas.

Curabit igitur, ut Novitius statim suscepto nostrae Religionis habitu (nisi aliqua ex causa esset hoc in aliud tempus reiiciendum) in cubiculo tres Hebdomadas spiritualibus exercitiis totum se abdat, hoc tamen ordine, ut prima, e cubiculo non egrediat, aut saltem aliorum vitet aspectum: sed ibi in sancto recessu mentem usque-  
5

colligat. Secunda, ad Ecclesiae ministeria admittat: tertia, etiam aliis domesticis exercitiis: sed tamen tres illas Hebdomadas integras neminem, praeter praeceptorum, alloquatur. Quo tempore illum Magister invisat, soletur, forti, ac alacri animo iubeat esse, ut impavidus Christi castra sequatur, aliquando cum vitiis, cum passionibus animi, cum saeculo, cum daemone certamen fortissimum initurus: armaque ad huiusmodi pugnam idonea, (quae sunt meditationum volumina) Novitio suppeditet. Quod si maturiori aetate foret Novitius, illi Sanctum Bernardum de domo interiori, Dionysium de quatuor novissimis, aut id genus alios libros, prout illi videbitur, tradat. Utrique vero omnis alieni a rebus caelestibus studii causam adimat. Seiscitetur a Novitio quanam illum toto illo tempore daemonis tentationes invaserint, qui vanarum cogitationum tumultus turbarent, quae saeculi species fuerint mentis oculis observatae; ipseque Novitius, ad aliquem actum humilitatis exercendum, praeceptorum omnia genuflexus fidenter aperiat.

Quatuor horas prima hebdomada singulis diebus, aut saltem tres per intervalla mentali orationi vacabit humi prostratus, vel si id infirma corporis constitutio non patitur, aut imbecillae vires non sufficiunt, stans oret, aut sedens ad exiguum temporis spatium. In omnibus autem Magister discreto, prudenti animo sit, ne imparia Novitii viribus onera imponat, sed cuiusque constitutionem, fortitudinem, imbecillitatem diligenter metuletur. Secunda Hebdomada, tres horas tantum, tertia, duas per singulos dies ad mentalem orationem incumbat. Cum vero Novitius debeat per id temporis anteactae vitae peccata omnia confiteri, et conscientiae maculas

ablueri, rationem illum docebit Magister examinandae conscientiae, et excutiendi recte animae interiora, libellosque ad idipsum facientes, et erudientes porriget. Sua debique, ut vigilanter caveat, ne culparum etiam levium illum quidam despectus obrepat, qui sensum doloris imminuat; si enim levissimas quoque culpas non horreat, nunquam proficiet. Sed vel ipsius praeceptorum pedibus provolutus, vel alterius confessarii notae prudentiae, ac experientiae ad Novitii voluntatem, (ut effundat fidentius cor suum coram Domino) peccata omnia, praeteritas culpas, inquinamenta saeculi, et superioris temporis vel minima, dolore quam poterit maximo detestetur. Finitis spiritualibus exercitiis, in triclinio, caeteris ad mensam accumbentibus, poenam aliquam, aut mortificationem genuflexus a superiore postulabit, pro iis negligentis, quas forte in praeteritis exercitiis admisit: ex quibus, quos fructus acceperit, quos fecerit progressus, facile coniciet Magister ex ipsius silentio, modestia, ex grato in cubiculum recessu. Liberior deinde cum aliis Novitiis versabitur, et omnia una cum illis domestica munia obibit, ut mores familiae, cum qua vivit, ediscat.

Et si quotidie per horam est nostris patribus orationi mentali vacandum, ut in maioribus constitutionibus sancitum est; attamen, quia non exercita virtus solet languescere; ne refrigeat ille spiritualis fervor, quo tribus illis exercitiorum hebdomadis Novitii nostri incaluerunt, quotannis hebdomadam debent eligere, qua foret perditum reparandum.

Mirum enim est, quantum mens nostra lentescat, et retro ad deteriora labatur, nisi ad caelum continuo nisu impellatur. Ideo rerum spiritualium Praefectus curabit, ut in singulos annos a Kalendis Octobris, usque

ad Domini nostri Natale Novitii nostri unam vicissim hebdomadam huiusmodi spiritualibus exercitiis impendant: quo tempore silentium servant, et si expedire videbitur, omnium consuetudine absterneant, sed in cubiculo commorentur, tantum Chori officiis intersint, videantque, ut ex tanta commoditate, qua reliquis curis vacui soli Deo famulantur, Religionis indultu, uberiores fructus accipiant, et adipe spiritus impingentur. Totius etiam anni praeteriti errata, ac culpas universas facta generali confessione detergant; quod, quo libentius faciant, et liberius crimina fateantur, ex patribus domus audiendis nostrorum confessionibus destinatis, eligant, quem velint, cui ea in poenitentem detur facultas, quae ad salutem animae, qua nihil carius, et antiquius, opus esse videbitur: sic corrigentur, emendabuntur errores, defectus, in quos Novitii totum annum lapsi fuerint negligentia, ac desidia. Tunc poterunt aetiori vinculo se se Deo instauratis denuo Religionis votis obstringere, ut nostra instituta adhortantur. Horum exercitiorum fructus conspiciantur, si se melius exterius composuerint, et in suis actionibus fuerint cautiore.

Per reliquum anni tempus horam singulis diebus mentali orationi nostri operam dabunt, quae ob alia domestica impedimenta, ita dividetur, ut mane mediam post statim absolutam primam meditationi impendant, alteram mediam ante coenam, vel post, pro temporum varietate, praelectis duobus, aut tribus meditationum punctis: accedant autem omnes parati: quod idcirco interdum libellum aliquem devotionem excitantem in cubiculo legant. Novitiis, qui non desudabunt in studiis, illi orationis horae, alterum insuper dimidium addetur, si libet praecceptori, quo, si non in litteris, saltem in rerum

spiritualium studio proficiant, et tantae rei amore incendantur; et si quem iuverit longius orandi tempus insumere, tam pii optati assequendi non illi commoditas deerit. Illud divi Augustini Novitiorum mente non excidat, sicut ex carnalibus escis alitur caro, ita ex divinis eloquiis, et orationibus interior homo nutritur, et pascitur. Ita se in orando aptabunt, ut, si fieri possit, scamno non innitantur, nec itidem in excreando strepitum edant, ne aliorum orationem perturbent; immo si qua reumatis copia alicui ex pectore, vel capite fluere, is solus in cubiculo meditabitur. Aptior erit, et commodior ad meditando locus paulum tenebricosus, ne ulla vana species oculos oberret, et ad aliquod creatum cogitandum alliciat; sed terrenarum in mente strepitu silente curarum, soli anima creatori suo vacet: clauduntur enim corporei oculi, ut mentis latius reserentur, et obtutu firmiori, et auctiori a nostris sensibus alienissima intueantur.

#### IV.

#### DE MISSA.

Clerici nostri semel saltem in die Sacerdoti celebranti ministrabunt, nisi legitima causa fuerint impediti, cuius, si qua extiterit, praecceptorem admonebunt, qui ad quaecumque impedimenta tollenda, quominus Sacrum ab omnibus audiatur, curabit, ut omnes simul Sanctissimo Sacrificio intersint, ipso, vel alio pro illo praesente, ut modeste, sancte, devote se gerant.

Simile omnino Sacro serviendi omnes rationem ediscant, ut in omnibus quidam communitatis zelus eniteat.

Modum autem, et methodum Sacerdoti ministrandi hic praescribemus, quo illum omnes intelligant, et observent.

Qui ab aedituo vocatus erit, si ipsius intersit, primum suum Magistrum adeat; a quo accepta benedictione Sacrarium petat, ibique tandiu silens, modestus moretur, donec Sacerdos ad se sacris vestibus induendum accedet: vel alicui piae lectioni, vel orationi genuflexus illud tempus impertiet. Cum venerit Sacerdos, illi porriget paramenta, et ita diligenter induenti deserviet, demissis oculis, nullos sermones ferens, ut illud solum spectet, quo Sacerdos in Ecclesiam prodeat decenter ornatus, bene concinnus, polite compositus. Ab egrediente Sacerdote ad Altare genuflectens benedictionem petet, vel ad ianuam aspergetur ab ipso aqua benedicta.

Nunquam omnino in Ecclesia oculos curiose circumferat, nec tantillum attollat, etiam si strepitus aliquis, aut rumor exaudiretur, sed dumtaxat suum munus sedulo, et diligenter exerceat. In urceolis porrigendis eandem omnes rationem servabunt, gravi incessu, fixis in terram oculis, omni paenitus affectatione, aut minus decoro motu corporis ablegato. Respondeant omnes clara voce, distincta, non absona, non fracta, nec stridenti: nec extrema verba Sacerdotis excipiant, sed finitis respondeant. Cum de cornu ad cornu Altaris est ministerii gratia progrediendum, ad medium Altaris profunde genua flectant, si ibi fuerit Sanctissimum Sacramentum, vel fuerit Hostia iam consecrata, ad alia Altaria caput gravi quodammodo, exiguo corporis flexu solum inclinent. Ad Sanctus, ad elevationem Hostiae, et Calicis ter tintinnabulum pulsabunt, non celeri tinnitu, et nimium sonoro, sed quo ad devotionem fidelium mentes expergeficiat, non alteratio perturbet; terram osculabuntur

etiam, et quando in Credo illud pronuntiatur *Et Homo factus est*. Nunquam stantes Sacerdoti respondeant: minus ad *Suscipiat Dominus*, sed semper genuflexi, praecipue cum benedictionem a Sacerdote in fine Missae suscipiunt. Si contigerit saeculares sacram synaxim recipere, mantile porrigant, et cyathum, ita ut non manum accipientis attingant; cereum vero non extinguant, nisi facta Communione. Illud autem in primis cavendum erit nostris Clericis, ne cuiuspiam curiose vultum aspiciant, sed conniventibus oculis, tum domi, tum in Ecclesia suo semper munere fungantur, ut illa devotio, quae forsitan interius delitescit, foras etiam se prodat. Regresso in Sacrarium Sacerdoti auxilientur ad exuendum, et dum ultimo recipiunt amiculum, etiam genuflexi a Sacerdote benedictionem accipiant, praeter illam, quam in ipso ingressu Sacrarii acceperint: deinde in suum cubiculum redeant, vel quod esset ipsis mandatum munus efficiant.

Si Sacerdotes novitii fuerint vocati ad celebrandum, tam digredientes, quam regredientes a Magistro petant benedictionem, et in omnibus colloquia cum saecularibus, aut professis effugiant: ne spiritus calor quibuscumque sermonibus evanescat; notum enim est quantum deferbeat charitatis aestus intempestivis eloquiis.

## V.

### DE SACRAMENTORUM FREQUENTIA.

Et si cuicumque Christiano aeternam illam felicitatem suspiranti illud propositum esse debet omnino, ut iis rebus frequenter utatur, quorum ope tanti voti

compos fieri possit: Religioso tamen sunt saepius ea frequentanda Sacramenta, quorum auxilio, non solum se a daemone tutatur insidiis, et contra nequitiae tela se protegit, sed etiam se omnibus caelestibus bonis infarcit: Augustissimum scilicet sanctae Eucharistiae Sacramentum, quo, veluti quodam nexu, et compage summo Creatori adglutinatur, et in divinam commigrat naturam.

Nam, cum panis ille suavissimus sit panis vivus, non, ut aliae escae, in nostrum succum transit, et sanguinem, sed nos in seipsum convertit, et mutat: deosque pene facit. Quo affectu igitur, qua cordis puritate, qua reverentia, et pietate Religioso ad Sanctissimum Sacramentum ferri necesse est: quo efficimur divinae conformes naturae; et deliciis illis caelestibus viventes maturius fruimur, quae devoto, ac pio Religioso destinantur in coelis suo iam fato defuncto; sed haec viderint Novitii nostri in libellis, qui ad acuendam istius divini cibi appetentiam leguntur. Hortabimur eos tantum, ut qui summi regis aulici futuri sunt, et in ipsius regia ipsis degendum viciniore famulatu: ut quam mundissimi ad hoc Sacramentum accedant: mundabuntur autem, si prius peccatorum sordibus poenitentiae Sacramenti aquis ablutis, crimina omnia, et maculas etiam levissimas expiabunt.

Idcirco, praeter suum magistrum, cui Novitii poterunt, si collibuerit, sua peccata confiteri, alium etiam ex Confessariis Collegii habeant a superiore ad hoc ipsum deputatum, quo liberius possint animae ulcera, pustulas peccatorum confitendo detegere. Sed antequam adeant Confessarium, optime conscientiam excutiant, diligentissimo examine animae interiora scrutentur, per tria communia cogitationum, verborum, operum capita, ac

omissionum. Quod, quo frequentius fiet, eo postea accuratius, et melius: tunc vero enitantur, recolendo peccata, ex intimo sensu maximos doloris actus elicere, et firmissimum propositum de caetero ab omnibus abstinendi, quae vel levissime Deum offendant.

Confiteantur autem Clerici nostri saltem singulis Dominicis, et diebus Festis, qui ab Ecclesia celebrantur, vel civitate, et loco, in quibus degent: praeter eos dies, qui ex Instituto nostro sunt Congregationi solennes, scilicet sextas Ferias mensis Martii, Quadragesimae, Adventus, et quatuor anni tempora. Si qui vero erit, qui tales in via Domini progressus fecerit, ut saepius possit Sanctissimam Communionem frequentare; ad aliorum exemplum, et incitamentum Magister sinat illam ad Sacramentum accedere: quamquam in omnibus hortamur, ut Communis ratio, et ordo feruetur.

Vitabunt autem in Confessione scrupulos ingerere, eadem saepius iterando, et ne quicquam Confessario fastidium parere, quibus Magister, seu Confessarius ea adhibeat medicamenta, quae sanandis, et tollendis scrupulis opportuna videbuntur. Nemo suas tentationes, aut iniunctas pro peccatis poenas alteri manifestet, nec de huiusmodi rebus inter se loquantur. Bini ad confitendum abibunt, ea modestia, et silentio, quae tantae conveniunt rei.

Facta omnium Confessione, cum dabitur campanulâ signum, omnes bini ad chorum procedent, silentio quam maximo, et devotione, et finita Missa, quam celebrabit Superior, aut Magister, omnes simul iunctis manibus, demissis oculis, superpelliceo induti singuli ante Altare progredientur, ibique quam devotissime Sacrosanctum Christi Corpus sument. Si quis forte defuerit, sine licen-

tin (quae vel a Superiore, vel a Magistro danda erit, vel etiam a Confessario) aliqua poena mulctetur, et acriter arguatur: sed efficiat Magister, ut omnes simul divinae mensae accumbant, supposito linteamine, cuius duo Clerici hinc inde extrema sustineant. Finita Communionem, in Chorum abscedent, ibique quartam horae partem gratis agendis impertient, deinde in sua cubicula regrediantur, subsequente eos praeceptore, ut maiori modestia, et silentio procedant: in quibus tamdiu libris spiritualibus legendis, aut orando morabuntur, donec ad recitandas Horas campana vocentur, nec ulli Magister concedat sermocinari, nisi de rebus necessariis, et brevi admodum tempore; si qui ad Sacro servendum accersentur ab aedituo, prius adeant praeceptorem, ut ab illo benedictionem accipiant, ut supra diximus.

## VI.

## DE OBEDIENTIA.

Hanc Religionis nutricem, fidam custodem, et lotius Regularis disciplinae Magistram, ita colere debent Novitii nostri, ut suam omnino voluntatem devoveant, et ab ipsius nutu dependeant, cum cultores suos mirifice illustret, et rebus humanis efficiat altiores: hac enim ipsi Deo magis placemus, quam reliquis virtutibus moralibus: cum iis, qui pro Deo praesident perinde, ac ipsius Dei vocibus pareamus, atque a divina bonitate ob unam hanc virtutem multa caelestia munera mereamur, quae reliquis non ita facile assequeremur. Ex hac conscientiae securitas, tranquillitas animi, pax cordis,

honestas vitae, et omnia religiosi viri ornamenta profisciscuntur. Haec caeteras virtutes simul connexas perpetuo vinculo in Religiosum animum ingerit, et aeterno foedere custodit, et servat. Haec neque falli, aut seduci in gravissima salutis causa potest, cum a Deo regatur, et quasi manu ductetur.

Quare tam excellentis virtutis studiosissimi sint Clerici nostri, ac libenti animo amplectantur: cum hac solum parta, reliquae omnes veluti sponte ipsam sequantur. Erunt itaque ita ad obediendum alacres, et strenui, ut quocumque alio privato opere posthabito, cito primis iussibus superioris, aut praeceptoris accurrant, et ad alia domestica exercitia, seu actiones, ad quas tintinnabuli sonus accersit. Neque superiorum mandata sugillant, carpant, aut censoria nota praestringant; cuius errati deprehensi, poenas luant, ac acerbe corrigantur; cum sincerissimo intuitu sint quaecumque superiorum, veluti ipsius Dei praecepta conspicienda. Severe autem animadvertatur in eum, qui obstinato animo imperia detrectaverit, et omnino, nulla interiecta mora, inobedientiae radices Magister evellat. Qui propterea Novitios primae probationis quotidie congregabit, ut eos obedientiae faciat assuetos, et videat experiendo quantum in hac virtute profecerint; cum illis, de rebus spiritualibus agat, percunctetur, quid didicerint Sanctorum librorum lectione, quos fructus fecerint, quae dubia in mentem venerint; sed ante haec omnia ad res spirituales serio tractandas aditum faciat lectio Thomae de Kempis de imitatione Christi, Gersonis, Lucae Pinelli, aut id genus librorum, ut his auctoribus praeeuntibus, in rerum caelestium cognitionem ducantur. In fine congregationis praeceptor piam aliquam, et ardentem hortatio-



nem subnectet, qua eos ad fortiter perseverandum, et assequendas virtutes inflammet.

Semel saltem qualibet hebdomada curet ut Novitii, ab ultimo exordiando, coram seipso exteriorum culparum genuflexi veniam petant; et unumquemque propriorum, ac peculiarium errorum admoneat, in eos praesertim acriter invehatur, in quos saepius ipsos corrumpere cognoverit; et in sua crimina quocunque modo excusantes. Hoc humilitatis studio eos frequenter exerceat, ut spiritus paulatim in mentes Adolescentum se insinuet. Nec ipsi superinfusos caelestium doctrinarum rores respuant, sed avido ore imbibant, et se Christi discipulos esse cognoscant: in quo mirifice, usque ad mortem clarissima obedientiae virtus enituit. Quare etiam, quae fuerint pro ipsorum culpis iniunctae poenitentiae, libentissimo, ac hilari animo patientur, et expient errores, quos detestati sunt, eo modo, qui magis praeceptori placuerit, et etiam si nulli extarent, et tamen arguerentur, nullorum a se culpam reiciant, sed humiliter sese gerant, ac si eos admiserint.

Curabunt omnes Novitii ut praeceptori suo quam maxime fidant, quia teste Beato Laurentio Iustiniano, via spiritus, sine duce, sentiosa est, ac plena periculis. Nemo, inquit ille, indoctus convincere, se ipsum credat errore, nullus ad pugnam inermis pergere, nec quisquam solus praesumat belli obtinere victoriam. Quare duce opus est, qui cordis intima noscat (ne quis dolus diaboli delitescat) quem reveantur Novitii, ac mirifice colant: si enim, quem subsequi debent praeuntem ducem, parvi facient, non mediocri spiritualis ruina illis impendebit: decipitur facillime, addit idem Divus, atque spirituali ruinae efficitur proximus, quisquis sui ducis

laudabili extimatione privatur. Quamobrem Novitii ut erga Magistrum venerationem, et confidentiam alant, illum saepius adibunt, ut illum de suis rebus, cogitationibus secretis, informet, et quidquid cor, aut vexat, aut exhilarat, et versatur in mente, scrupulos, vagationes cordis, daemonis impetus, cum magistro, veluti cum fideli, ac tacito amico communicent: sic enim fiet, ut detecti morbi sanentur, qui alioquin occulti necem animae maturarent, et daemon latro, furti compertus, effugiat.

Ut vero liberius, et fidentius sui animi arcana, ac secreta detegant praeceptori, ne quod animarum salutis impedimentum afferant, ipse se vel sigillo naturae, vel confessionis obligabit, ea sibi credita quam profundissimo silentio sepelire. Namque plus nimio eorum salutis interest, medicum spirituales abditos intra viscera vitiorum, et pravarum inclinationum morbos, et affectus noxios cognoscere; ut iis sanandis opportuna applicet medicamenta. Quod si tam salutare omnium malorum remedium quis frigidus Novitius repelleret, aversaretur, vel palam vellicaret indignabundus, huiusmodi praeceptor Novitium veluti alienae pacis turbatorem puniat.

Hac occasione poterit Magister secretas mortificationes praecipere, quas nemo faciendas suscipiet praeceptoris iniussu, ut humilitatis, et obedientiae meritum consequatur.

Caeremonias etiam, quae in nostris Ecclesiis servari solent, ediscent Clerici nostri, ut recte iis muneribus defungi possint, quae ipsi a superioribus mandabuntur. Ideo debet esse patrum aliquis, qui eos caeremoniis instituat, et monodiae cantu, quem firmum vocant. Quibus in rebus summopere optamus; ita se

gerere, ut nihil addi possit, vel reprehendi, eadem ab omnibus servata ratione, ordine, methodo ministrandi, ut quoddam decus, et nitor exterius appareat, qui saecularium mentes excitet ad pietatem, et devotionem. Itaque ut diligentius in id incumbant, nec frustra sermonibus habendis tempus terant Novitii, dum cantu, et caeremoniis erudiuntur, Magister semper aderit.

Si pueri forent in nostris Ecclesiis doctrina Christiana instituendi, Clerici nostri, qui interfuturi essent ad Superioris arbitrium, id piissimum munus obeant maxima cum charitate, diligentia, modestia, nullo verborum strepitu, aut stridulo clamore caput tecti bireto librum Christianae Doctrinae in manu gestantes.

Quia cupimus, praeter haec pia exercitia, nostros Adolescentes studiis litterarum operam dare, et politioribus disciplinis imbui, elapso novitiatus anno, illis se toto addicent, et serius desudent in litteris, sub eo praecceptore, quem illis instituendis Superiores adscribent, non neglectis tamen spiritualibus exercitiis, quae cum suscepto habitu perdurabunt, ne litterarum studia pietatem animis, ac devotionem imminuant. Itaque in duo ista exercitationum genera sic tempus partietur Magister, ut excullo etiam spiritu, et devotione nutrita, in studiis toti sint, et sedulo elaborent, ut ii viri evadant, qui et Religioni, et sibi possint splendorem, et decus offerre, et Congregationi, cum necessitas postularit, inservire.

Si qui Novitius esset, qui primo probationis anno aptus esset ad severiora, et alliora litterarum studia, minime id sinat Superior, ne ea quae ad spiritum spectant, praetermittantur, et pietas negligatur, ut usu saepe compertum est; quare sufficere tantum, de ipsius

doctrina, scientia, ingenio, periculum fecisse: caeterum nemo Novitius, etiam si optimae ad litteras indolis, et illustrium animi dotium, ac insignis nobilitatis, sine speciali licentia admodum R. P. Generalis, vel studiis, vel professorum exercitationibus admittatur, ne quo tempore ad aetioem vivendi rationem dirigendus est, ad laxiorem illi froena laxentur, et dum privilegiis Professorum, studendo gaudet, spiritus, quod caput est, elanguescant, nec eos fructus ferat, qui a litteris cum spiritu, et animi pietate connexis expectantur.

## VIII.

### DE SILENTIO.

Tanti semper servandi silentii studium, ac diligentiam duxerunt Patres, qui de perfectione religiosa praecepta tradiderunt, ut scriptum etiam reliquerint solum sufficere ad Regularem disciplinam collapsam restituendam, et ubi vigerit, fervorem etiam spiritus, et devotionem nunquam posse frigescere. Et quidem iucundum visu est, et delectabile in Religiosorum claustris, quae tam multiplex, et varia incolit multitudo, omnes ita in sua munera intentos, vel in cubiculis caelestium rerum contemplationi vacare, vel legendis, vel scribendis libris, ut nulli strepitus exaudiantur, sed omnia ita sileant, ac si vacua habitatoribus essent conclavia: quod probatos viros, qui sacras Religiosorum aedes ingrediuntur, quaedam obiecta protinus sanctitatis species, adeo detinet admirabundos, ut ex uno illo silentio optimam opinionem concipiant, caeterasque virtutes ibi vigere arbi-

trentur. Studebunt igitur Novitii nostri, et adolescentes, ut quam tenacissime silentium observent, reprimendoque sermone se exercent; decet enim quam maxime iuventutem linguae moderatio, verecundi scilicet, et honesti animi non obscurum argumentum; iuventutis vero speciosissimum decus, *Divo Bernardo teste*, silentium nimirum maximus est actus verecundiae: praeterquam quod etiam linguae licentia *procacem* hominem arguit, silentium vero prudentem, et Religiosum, ut assertit Apostolus, si quis putat se Religiosum esse, non refræmans linguam suam, huius vana est religio. Quamobrem, ut Clericis nostris hac in re consulamus, huiusmodi documenta subiicimus.

Primum non elata voce recreationis horis inter se colloquantur, sed leni, submissa, et modesta, et inter iocandum nullum immoderatum strepitum edant, non altercentur, aut plus nimio clamorem attollant. Quod si aliqui erunt suapte natura nimium vocales, aut clamosi, Magistri partes erunt eos, quoties erraverint, reprehendere, et rixarum principia protinus removeere acri obiurgatione; avertetque a Novitiis diligentissime clamorosos quoscumque strepitus, qui *gliscente ira* proficisci possint, quae modestum, ac devotum Religiosum plane dedecet.

Tempus, quo nostris Clericis silentium servandum volumus, erit a signo eundi cubitum usque ad mane; post finitam, recitato Officio, orationem, quo tempore adeo severe silendum sibi esse sciant, ut nemini liceat nisi urgenti de causa, et tunc quidem etiam breviter, et submissa voce, loqui. Cum aestate a prandio post recreationem paulum quiëtis, et somni conceditur, dato silentii signo, unusquisque in suum cubiculum secedat,

ibique in sancto silentio, et recessu, vel studio se dedat, vel quieti dormiendo; nullo autem pacto cubiculo egrediatur, aut quempiam audeat alloqui.

Loca vero, quibus praecepit silentium indicitur, ista esse intelligant, Sacrarium, Refectorium, Capitulum, Oratorium, ad quae maximo semper silentio tum convenient, tum abibunt. Neminem in his praeter Superiorem, aut Magistrum alloquentur, ab iisdem interrogati, vel cum aliqua re indigentes opus fuerit ad Superiorem, vel Magistrum confugere.

Horam a prandio, et coena, vel paulo secus recreando animo concedimus, qua mutuis colloquiis curas animi, et labores relevabunt, sed ea animi moderatione et charitate, ut neminem interim irrideant, illudantur, caveant contentiones, et rixas, scurrilitate, vanisque sermonibus minime diffluent, deridiculo agnomine quempiam nec compellent: mutuo vero se honore, ac observantia complectentur; ab eoque pronomine, quod Italico Idiomate neglectum quemdam personae secum affert, scilicet TU, in mutuis compellationibus abstinebunt.

Si quando honestus aliquis ludus concedetur a Magistro, vel exercendo ingenio, vel corpori accommodatus, prompti, et alacres morem gerent, vacabuntque ludo, ut vividiores, et vegetiores ad solitos labores, et curas redeant.

Nunquam bini, terni, vel quaterni seorsum ab aliis in alicuius cubiculum secedent; vel ita disiuncti, ut aliorum aspectum vitent, aut consuetudinem; cavebunt ne privatam aliquam sodalitem ineant inter se, huiusmodi enim secessio, et particularis amicitia est perspicuum argumentum animi singularitatem affectantis; et,

quod caput est, arguit aliorum hos consuetudinem aver-  
sari, et aequali non omnes charitate complecti, quod  
sanctissimi viri perniciosissimam, tamquam pestem, a  
coetibus Religiosorum excludendum esse voluerunt.

Nemo epistolas ad quempiam exarabit, nisi prius  
a Magistro facultatem impetraverit, eidemque legendas  
tradiderit, et sigillo Collegii obsignandas. Caeterum  
Magister non permittet crebrioribus litteris scribendis  
Novitios tempus terere, ne spiritus circa saecularia eva-  
getur. Raro, difficulter, et reluctans conscribendi lit-  
teras facultatem concedet. Minus sinet affines eorum  
invisere, aut alloqui, praesertim si nobilitate, aut divi-  
tiis praepolleant: sed per quam raro: quod ubi conce-  
det, ipse intererit colloquio, aut aliquis gravis, et pru-  
dens Sacerdos spectabilis probitate. In colloquendis  
mulieribus, si quando contigerit, quam brevissimi semper  
se paucis expedient, defixis in terram oculis, spectabi-  
lique modestia eas alloquentur.

Praeter Divinum Officium, et ea studia litterarum,  
in quibus non nihil se exercebunt Novitii, Beatae Mariae  
Virginis Officium quotidie recitabunt, cui se obnixè  
commendare, et totos devovere meminerint, ut tantae  
Virginis Deiparae auxilio vires obtineant validiores ad  
sustinendum susceptae vitae onus, et ad labores perfe-  
rendos alacri animo nostrae Congregationis. Doctrinae  
pariter Christianae libellum condiscant, ut parati sint,  
si iusserint superiores, alios edocere.

Haec facile omnia, et alia etiam multo plura pera-  
gent, si amantes solitudinis, et silentii erunt, et otium  
in ipso sui cubiculi secessu evitabunt.

## VIII.

## DE CULPIS DICENDIS.

Nostrae Congregationis instituta praecipunt, ut  
Novitii anno probationis, qualibet sexta Feria, exte-  
riores errores, quos inter hebdomadam commiserint, in  
triclinio genuflexi coram Superiore accusent. Hanc  
animi mortificandi, et humilitatis obtinendae praeclaram  
rationem finito anno, quamdiu Superiori, vel Magistro  
visum fuerit, libenti animo prosequantur.

Caeterum in secunda probatione, quae quinque  
annos, aut diutius ad Patris Generalis arbitrium, a  
nuncupatis votis, durabit, huiusmodi mortificationis ge-  
nere, tanquam lege, minime erunt obstricti; sed solum  
si libuerit Superiori, aut Magistro; qui diligenti examine  
Novitiorum progressus, virtutem, devotionem, aetatem  
ponderabunt, antequam Novitios secundam probationem  
ingressos ab ea lege culpas accusandi exsolvant. Si quis  
Novitius Sacerdos fuerit, tum a Magistri custodia, tum  
ab ea mortificatione petendae veniae, pronuntiatis Reli-  
gionis votis, liberetur, cum maturitas aetatis, et Sacer-  
dotalis dignitas satis per se sit, Patrum iudicio, ad spi-  
ritum, pietatem, devotionem solo probationis anno,  
menti ipsius inserendam, et ad Congregationis mores, ac  
instituta perdiscenda.

Omnes tam primae, quam secundae probationis  
Novitii, convenient simul ad ea munia, quae iusserit, et  
ad Congregationes, quas Magister indixerit. Nemo inter  
accusandos suos errores audeat temere, procaciter, vel  
minus modeste, magistro reprehendenti respondere,

aut mussitare, aut submurmurando mutire; sed si voluerit se defendere, vel causam producere, vel excusationem afferre, quare obiectum crimen diluat, ut conceptam a Magistro de se pravam opinionem auferat, prius dicendi sibi facultatem deposcat, deinde humilibus verbis suae causae patrocinetur: quamvis apud Deum, tum etiam apud homines magis ille mereretur, si se criminis, nulla allata excusatione, faceret reum, et sotentem haberi pateretur; ni tamen alicuius gravioris sceleris insimularetur, tunc enim licebit, ut suae consulat famae, superiorem adire, et genuflexus apud eum veris rationibus sibi obiecta delicta expurgare. Accusatis erroribus antequam assurgant, terram semper exosculentur, eorum autem errorum veniam petent, in quos palam vel imbecillitate naturae, vel iuvenili levitate prolabuntur, non secretiorum internae conscientiae. Magistri itaque munus erit huiusmodi rerum inscios Novitios erudire, ut sciant quid sit ipsis agendum, quo risus occasionem subtrahat, quem facile excitaret quisquis in triclinio accusando errores, reticenda fateretur. Nullus alium infamet, aut falsi criminis deferat apud Superiorem, aut Magistrum, et mendacii convictus poenas sceleris debitas luat.

Si quis grave aliquod cuiuspiam delictum cognoverit, memor praecepti Evangelici secreto corrigat, et prudenter arguat, si noverit futurum, ut respiscat, sin minus ipsum apud Superiorem accersat, aut Magistrum, et illorum prudentiae relinquat opportunam medicinam adhibere, sed secreti cautione crimen fratris deteget, ut criminis qualitas, locus, persona, aut tempus postulabit.

Norint autem omnes teneri, ad Congregationis can-

dorem, decus, et innocentiam tuendam, atque adeo minime, si quod viderint, aut noverint crimen ab aliquo commissum, quod Congregationi dedecus afferre possit, silentio tegant, non solum ut delinquentis consulant saluti, sed etiam ne callum obducant in peccando, quo difficillior reddatur emendatio, et ne aliquod detrimentum Congregationi nostrae ob Fratris occultatum delictum immineat.

Facilius autem poterunt Novitii daemonis laqueos declinare, si vitae spiritualis ducem, ac patronum Beatorum aliquem singulis mensibus eligent, qui eos ab humani generis hostis insidiis defendat.

Idcirco Magister quolibet mense schedulas singulas, in quibus Divorum nomina, cum pia aliqua sententia sint scripta, sortito ex urna extractas omnibus dividet, et qui cuique Divus obtigerit, sit illo mense tutor, et patronus, cui se obnixè commendent Novitii, et eam mortificationem a Superiore postulabunt illo die, quam schedula destinavit.

## IX.

### DE SENSUUM EXTERIORUM MODESTIA.

Modestiae virtus nulla satis oratione pro ipsius nobilitate, et praestantia laudari potest, quae a Sanctis etiam Patribus celebratur, ac quam maxime commendatur. Et certe laudabilis externarum nostri corporis partium compositio vehementer afficit intuentis oculos, ut ex illa interiorum animi compositionem facile quisque introspectiat.

Saeculares vero, qui in religiosos viros praecipue oculos intentos tenent, uno corporis praesertim habitu commoventur: si enim aliquem viderint liberio-rem in loquendo, aut externa corporis compositione, aut gestu levio-rem, et laxiorem, exinde vel male vivendi exem- plum desumunt: vel contemptum quemdam animo concipiunt illius Congregationis, cuius ille institutum pro- fitetur, qui se exhibet incomposito, et inverecundo habitu corporis contuendum. Novitii igitur nostri, non satis existiment caeteras virtutes acquisivisse, quae interius hominem Dei oculis compositum reddant, nisi etiam exteriorem hominem ita composuerint, iuxta sancto- rum Patrum disciplinam, ut bonum sui odorem effun- dant, et saeculares, qui externam solum adumbrationem virtutis examinant, bene vivendi exemplar propositum habeant, et optimam concipiant de nostra Congrega- tione opinionem. Quapropter studebunt Novitii, ut cum in aliis corporis motibus, tum vero praecipue in oculo- rum intuitu moderando sint quam diligentissimi, quos si curiose, incaute huc illuc circumferent, pravam statim de se opinionem saecularium mentibus creant: pro- cax enim, aut parum modestus oculorum motus adeo de- format Religiosum, ut saeculares ipsi, cum petulanti, vel inverecunda oculorum licentia, aut incuria, solidam virtutem, et Dei timorem haud posse coniungi arbitren- tur. Oculos igitur quam diligentissime in se collectos retineant, vividissimum scilicet sensum obstruent, non solum, ne vanas rerum species hauriant, quae cogant mentem a caelestibus abstractam, per terrena spectra evagari: sed etiam ne sibi uno illo inconsulto oculorum con- jectu inverecundi, et parum honesti animi notam inurant. Incredibile vero est contradictum est, quantum

modestus oculorum flexus Religiosum commendet, et honestet, ut pravos etiam interius latentes mores obvelet.

Cum simul remittendi animi gratia versabuntur No- vitii, cavebunt, ne cuiquam manus iniiciant, ne quem- quam attrectent, ne se invicem impulsibus urgeant, aut corpore impingant; nihil demum agant minus modeste, aut verecunde.

Si aliquibus Novitiorum fuerit infirmorum cura demandata, sanctissimum illud charitatis officium quam modestissime exerceant, et cavebunt, ne religiosae mo- derationis terminos transgrediantur. Modestiae non exi- guum specimen suae praebebunt, si quando cum supe- rioribus, vel praeceptoribus agendum erit, deiectis oculis, vultum verecunde component; licentiose enim faciem maioris intueri adolescentem, argumentum est animi parum morigeri, et minus ad bonam frugem compositi.

## X.

### DE VESTIUM MODESTIA.

Nullus Novitius cubiculo egrediatur, qui non sit ita decenter indutus, ac si in templum, vel in forum processurus esset. Ad collum, et manus vestis non ita laxetur, ut nudum collum, aut brachia conspicienda exhibeantur. Sordes omnino, ut etiam nimia compositio, aut cultura in vestibus evitetur: odores cum primis, pastillos, et unguenta prorsus interdicta sciant, et fu- gienda Religioso; nitens enim cutis, inquit D. Hierony- mus, sordidum ostendit animum. Indumenta igitur ita corpori adaptabunt, ut religiosa modestia in vestitu, non nitor, aut vanus cultus appareat.

In domo verrenda, vel Ecclesia, aut aliis, ubi manus operantur, exercendis, non ita vestem attollant, aut cingulo tenus subducant, ut femoralia videantur, quod idcirco Patres Nostri vestem talarem in anteriori parte consutam usque ad pedes esse voluerunt, ut haec vestitus modestia in Nostrae Congregationis Fratribus enitèret; cuius rei etiam admonendi sunt Laici, ne cum in publico aliquod opus exercent, vestem cingulo innectant ita, ut femoralia detecta exponant contuenda.

Eandem omnes vestiendi rationem servabunt, et omnibus similis prorsus sit habitus, et vestium forma. Haec enim vestimentorum uniformitas, maximo decori, et ornamento Congregationi est, et communitatis, ac fraternae charitatis apèrtissimum argumentum.

Ad mortificandos vero Novitios in vestitu Magister vestes illis interdum pervetustas, aut resutas induendas dabit; quamvis novas, et bene cultas parentes cõmendant. Curabit itidem, ne quidquam apud se Novitii retineant proprii; sed omnia in communi vestiario seponantur, notatis signo aliquo distincto cuiuscumque vestibus, et rebus, ut si contingat aliquem e Congregatione recedere, sua secum recipiat. At clavem vestiarii aptiori Novitiorum consignabit.

## XI.

### DE MODESTIA IN CUBICULO.

Etsi unusquisque nostrum suum peculiare cubiculum habeat, in eo sic tamen morari debet, ea compositione corporis, ac modestia, ac si ibidem plures ades-

sent, et viderent multi cubiculi reculas factitantem. In surgendo e cubili prius thoracem induat, tum immediate vestem, qua indutus e strato descendens decentius aliis indumentis se convestiet. Cum iturus cubitum exiit, caveat, ne aliquam corporis partem denudet, quae oculos posset offendere. Quocumque tempore cum indusio dormiet: nunquam etiam patente fenestra: devitet quicquid saeculum potest subolere.

Nemo sine licentiã alterius cubiculum adeat, aut ingrediatur, nisi prius leviter percusso manibus ostio, et respondeatur, ingredi. Quo tempore simul morantur, pateat ostium, et perquam breviter locuti citissime se expediant.

Hora silentii servandi non nisi urgenti necessitate facultatem alieni cubiculi adeundi Magister concedet: noctu vero nunquam, quaecumque occurrat causa: sed unusquisque sua se continebit cella, ubi et pietatis, et litterarum maiores faciet progressus; lumen in laterna clausum, inquit Thomas de Kempis, fulgorem suum retinet, et ardorem, extra vero positum, levi flatu extinguitur, et tenebrescit.

Primum externum opus, quo mane exercebuntur Novitii, erit cubiculum verrere toties in hebdomadam, quoties illius nitori, et munditiei sufficet: cubile sternere, omnia concinnare, ne quid intuitum ingredientis offendat. Vanæ prorsus imagines, pretiosiores tabellæ, specula, vasa cultiora, ea demum omnia, quae profani aliquid praeferunt, interdicta sciant, ut omnia, quae in cubiculo, vel ad ornatum, vel ad necessitatem conceduntur, devotionem, pietatem, modestiam habitantis ostendant.

Supellex cubiculi, quoad fieri poterit, sit omnibus

eadem, ut nostra religiosa patitur paupertas : libros omnes, quibus utuntur, et in cubiculo tenent, descriptos seorsim, elencho aliquo habeant, et si fuerint eiusdem Collegii, in quo degunt, eorundem descripta nomina Superiori, aut Bibliotechario tradant, ut si contingat Collegium, alio migrando, mutare, eosdem, quos acceperint libros, restituant.

Cum in vita laboriosa aliquid interdum sit concedendum requietis, qua delassatae vires reficiantur, alterno scilicet labore, et requie quod caret, durabile non est : dies unus ad quietem tantum Clericis nostris concedatur, quo feriari liceat a matutinis horis noctu in Choro cum aliis recitandis : plures vero interdum etiam poterit Magister concedere, si cuiuspiam labor, affecta corporis constitutio, vel necessitas postulabit ; sed tamen cavebit, ne nimia sui indulgentia hac in re, psallentium in Choro nimia sit infrequentia, et paucitas.

Ubi illucescente iam mane a somno surrexerint, statim adeant praeceptorem, et ab ipso benedictionem recipiant, et deinceps divinum Officium persolvant, et mentali orationi vacent, a quibus rebus nunquam liceat cuiquam feriari : opportuno sed tempore recitabunt, ne nimium tarda munera maiestas divina fastidiat.

Tempore Quadragesimae, et Adventus citius, et maturius surgent e somno, ni aliter fieri necessitas compulerit, et charitas suaserit. Quo die somno indulturi sunt, clavem extrahent e sera, quam foris in ostii limine ponent, nec quisquam intus ianuam claudat, ut Magistro integrum sit, cum libuerit, cubiculum ingredi. Si vero locus, in quo seorsim degunt iuvenes, cancello occludatur, nullae cubiculorum sint claves, sed tantum cancelli, quam semper asservabit vel Magister, vel is, qui

Magistri vices gerit : et tunc gravissimo crimini dabitur cuicumque alterius cellam introire.

Infirmorum cubicula, ut quam mundissima sint, pervideat Magister. Qui vero eorum curam iussu praeceptoris gerent, operam dabunt, ut infirmorum necessitati nihil desit : eorundem salutis quam diligentissime habebunt rationem : morositatem, et difficultatem quamcumque inserviando tolerant aequissimo animo. Medico primum, tum Superiori, et infirmorum curatori obtemperent. Infirmos invisendi gratia adeuntibus, modestiae, charitatis, et sollicitudinis exemplum se praebeant. Nulli coetus in cubiculo infirmi, aut plurium conventus habeantur, ne verborum nimio strepitu, aut elatiori vocis sono officiant infirmo, sed si quem sermonem serere ad aegroti solatium, morbique vim relevandam volent, voce sit quam submissa.

Vesperis dato signo eundi cubitum, extemplo omnes intermissis colloquiis, et ludis silentes in cubiculum secedent, ibique quartam horae partem excutiendae conscientiae, et diurnis culpis examinandis impendent, vel orando consument : deinde extinguunt lucernam ; quam an omnes extinxerint, Magister, seu alius illius vice lustrando cubicula, sedulo videbit : inobedientes puniat, praesertim si saepius id commiserint ; multa inobedientiae haec esto, pluries sine lumine cubitum eat.

## XII.

### DE MODESTIA AD MENSAM.

Quia interdum fieri solet, ut praetextu necessitatis suae aliquis studeat indulgere voluptati, ut omnis carnalis sensus fraudes devitentur ; nullus Clericorum



nostrorum alio ciborum genere utatur, quam quos communis mensa exhibet comedendos; nec singulares afflectet, nisi urgens necessitas impellat. Cum vero Magistro compertum fuerit evidentem esse necessitatem, certiore faciet Superiorem, qui curabit, ut necessitati, non voluptati serviatur. Nemo alteri suos cibos dquet, cum alimentorum pars aequa sit omnibus, et cuiusque aetatis consultum necessitati.

Nemo a Ministris praeter panem, et vinum quidquam deponat. Haec vero si deficient, caveant, ne urcei, aut cyathi percussione, popinarum more, aliquem e ministris ad referendum accersat, sed nutu indigentiae Fratrem modeste admoneat. Quod si in secunda mensa paulo essent, ut saepe fit, negligentes Ministri, licebit liberius sibi necessaria postulare, voce tamen submissiori, memor modestiae, et silentii inter prandendum, et coenandum servandi.

Studebunt omnes, ut ad primam mensam simul conveniant. Quod si iam recitata benedictione venirent, mensae non accumbant, quin prius Superior annuat, ne aliis iam accumbentibus suo adventu incommodent, sed secundam mensam expectent. Finita prima mensa, nemo eorum, qui iam comederint, nisi ministerii gratia, in triclinio moram faciat, in quo perfectissimum silentium erit servandum.

Clerici Novitii ad gratias agendas in chorum procedent; Laici vero ad sua quisque ministeria. Qui secundae mensae interfuerint, poterunt iam refecti, cum illis collibuerit, a mensa recedere, gratias voce tacita agere, nisi aderit Superior, qui paulo post sit etiam ipse discessurus e mensa, tunc enim observantiae ratio postulabit, ut ipsius abeundi signum expectent.

Ad primam mensam, aliqua nostrarum constitutionum legentur. Deinde Sanctorum Patrum volumen aliquod latine compositum, postremo plus dimidio temporis prandii transacto liber spiritualis Italici idiomatis. Vesperi ad coenam prima lectio erit de Sacra Scriptura, cuius, uno capite lecto (praetermissis Cant. canticorum, et Psalmis) lectionem vulgaris idiomatis libri lectio excipiat: detecto autem capite, et recti in pedes stantes Sacram Scripturam legent.

In secunda mensa legetur aliquid illius libri italici sermonis, quod fuerit lectum in prima. Nec ulterius progrediendum erit, ne materia interrumpatur, et continuus lectionis sensus intermittatur. Vesperi non erit, quod legatur secunda mensa, omnes enim primae intererint. Lectores erunt Clerici nostri quicumque, sive Novitii, sive Professi, vel etiam Sacerdotes Novitii, qui omnes suis in orbem vicibus integram hebdomadam legent. Qui lectori primae immediate succedit, secunda mensa legat; vel illo absente, aut impedito, qui proximior est vicem illius subeat. Diligenti vero praelectione percurrent, quidquid lecturi sunt; legent autem clara voce, alta, atque distincta.

Cum inter errandum corrigitur, statim assurgant, et caput detegant; corrigere autem Superior, aut litterarum praeceptor: nam hic rerum spiritualium praefectus nihil aget, superioris iniussu, sed post mensam ipsos errorum, si non fuerint emendati, commonefaciet.

Ieiunii tempore poterit lector, praecipue si foret valde adolescens, panis frustulum vino madefactum, ante lectionem comedere, ne legendo vires deficient, aut sensus hebetentur.

Si fuerint Sacerdotes Novitii, etiam si ad Superio-

ris voluntatem in choro Hebdomadarii officium regeret, nunquam tamen, nisi votis nuncupatis mensam in triclinio benedicent.

Omnes autem Clerici mensae decenter accumbent, non inclinati, non mensae, vel parieti adhaerentes, non ingredientes, aut egredientes aspicient; sed demissis oculis, neminem, vel a latere stantem, vel eius portionem contueantur: spectabilis urbanitas, modestia, religiositas in ipsis effulgeat: minime felibus blandiantur, aut quidquam aliud ridiculi agent: non sordes, et putamina in medium proiciant, sed ponent in lance. Nullus e mensa aliquod comestibile exportet, nisi fuerit fructus, quos in cella conservet licite, et detineat.

### XIII.

#### DE MODESTIA IN RECREATIONIBUS.

Qualibet quinta Feria ad mensam lectione licebit feriari: quo die Superior ex nostro Instituto solet aliquid amplius ad comedendum apponere patribus, quo abundantius reficiantur corporis vires, et recreentur, et colloquendi etiam inter comedendum facultatem concedere. Sed Clerici nostri silentium, memores modestiae, servabunt, patribus colloquentibus; adolescentes enim decet coram senioribus silere, interrogantibus solum respondere.

A prandio, ut diximus in capite de silentio, Novitii horam remissioni animi, et genio concedent omnes simul; nisi Magistro ob maximum discrimen aetatis, vel aliam ob causam, eos in classes dividere opportunum

videbitur. Commodum vero valde esset, et perutile, ut Latino sermone, si fieri possit, assuescerent, quo sibi Latinum idioma longo usu et consuetudine promptum et expeditum redderent, ac vernaculum.

Tempore Quadragesimae, et Adventus mediam circiter horam spiritualibus colloquiis animum relaxabunt: vel Magister piam aliquam lectionem habeat, de qua disserendo, et quaerendo invicem illud temporis fructuose consument. Hoc vero spiritualis exercitii vicem habebit, quando illa peragere temporis angustiae non permittent.

Si Superior alium locum extra domum (qui tamen longe a saecularibus sit remotus) ad recreandum animum concederet; ibi etiam omni modestia, amoto tumultu, et cursitatione versentur; modeste se se recreantes gratias taciti Deo agant, qui tam proluxa in eos utatur beneficentia, quod gratissimum Deo est; ut enim inquit D. Ambrosius, beneficiorum est retributio divinorum, ut cum refecti fuerimus, bene nos confiteamur acceptos. Inter Clericos Novitios primae probationis professi sine speciali Superioris licentia minime aderunt.

Nulla prorsus ratione sinat Magister Clericos nostros mutua invicem sibi munera conferre, etsi eae res spirituales essent; minus privatas secum inire amicitias, eas ubi conciliatas adverterit, statim omni studio dirimat; ne principiis neglectis, factiosis partibus aliquando perniciose in damnum Congregationis cedant. Ita demum ubique se gerent Clerici nostri, ut in Ecclesia devotionem, in recreatione modestiam, in obediendo alacritatem, in triclinio urbanitatem, coram maioribus natu verecundiam praesferant.

## XIV.

## DE CONDITIONIBUS NOVITII.

Holocaustum, quod in Sacrificiis veteris legis Deo totum Altaris flammae absumebant, refert faciem servandam se totum Deo Novitii devoventis. Nam sicuti ex holocausto nullam sibi Sacerdos, nullam sacrificans partem vindicabat, sed ignis ad Dei honorem totum adurebat; ita Novitius se totum Deo sic offerre debet, ut nihil reliqui sui vel parentibus, vel amicis, vel saeculo, vel divitiis faciat, vel sibi etiam aliquid reservet, sed totum, quantum quantum est, divini amoris flammae absumant. Nulla foedatum macula esse debebat illud holocaustum; non secus Novitius nullam secum de saeculo maculam in Religionem debet invehere, sed omnibus maculis abstersis se plane purissimum holocaustum, et immaculatum devovebit, dicabitque, siquidem cum Deus sit purissimus, omnes, vel minimas labe exhorrescit. Et quia ex intentione bonitas finis splendescit; illud animo tantum intendet Novitius, ut abdicato saeculo Ordini Congregationis descriptus se totum divino obsequio dedat, et mancipet servituti; perfectionem, et animae salutem anhelet. In omnibus, inquit Divus Gregorius, nostris bonis operibus, quid mente conceperimus esse nobis diligenter examinandum, et videndum ne quid eis misceatur humani, sed omnia ad aeternam salutem assequendam dirigenda. Daemon enim enititur intentionem vitiando ita nostras operationes obsolescere, ut eo fine frustrentur, cuius gratia instituuntur.

Illaque praecipua, inter dolosas humani generis

hostis tecnas, est; ut humanis oculis aliquid speciosum appareat, quod divinis, vitiata intentione, est valde deforme. Quod si Novitius habitum Religionis suscipiens aliud animo, quam suam salutem, et divinum obsequium ac famulitium meditetur, recta ad suam perniciem grassabitur; quamvis enim, qui hoc animo est comparatus, bene auspicietur suum religiosae perfectionis ingressum; saepissime tamen vel ipso Religionis tirocinio defleat, vel progressu, virtutis opera, regularem disciplinam oderit, tam severam vitae religiosae rationem fastidiet, quippe qui animo commoda vitae humanae, non caelestia bona, ut perfectionem virtutis, cum Religioso ordini nomen daret, solum meditaretur.

Interdum vero insidiosus hostis cum intentionem pervertere non potest, socordiae, et tepiditatis cuniculos struit, in ipsa actione se quasi in itinere opponit, agit oscitantia; studet enim, ut segniter, et oscitanter adeo opus Dei peragatur, quo meritum operationis evanescat.

Domestica persaepe commoda, voluptates, delicias ob oculos ponit, et quidquid mundi contemptu oblectationis est omissum, offert menti; quibus hostis incurribus ita Novitius quatitur, ut in ipso itinere foede corruat, et miserabilis servitutis iterum praeda evadat; cui nimirum nihil sit delectabilius futilibus de saeculo colloquiis; hoc saepe cogitet, hoc interno sensu anhelet.

Denique si minus Daemon intentionem potest pervertere, vel impedire progressus, vel opera labefactare, actionum fini, ac termini nectit insidias, ibique prope rantem praestolatur, et quanto, inquit D. Gregorius, vel a domo cordis, vel ab itinere operis longius recessisse se simulat, tanto ad decipiendum bonae actionis terminum astutius expectat.

Necesse igitur est, ut Novitius suam intentionem et mentem oculate exploret, qua religiosae vitae institutum amplectitur: suae invigilet accurate saluti; non haec secum animo tacitus volvat: ubi primum probationis annum absolvero, laxior erit disciplina, exantlatis studiorum laboribus, non adeo severis adstringar legibus; Sacerdotio inauguratus, maiori colar observantia, non deerunt modi, et viae, quibus meae geram morem voluntati: Magistro, Lectori, vel concionatori declarato latior patebit campus meo in pluribus desiderio obsequendi, si unquam Superior renunciabor, mei tum pene iuris ero, et caeterorum mihi subdentur voluntates. Etsi enim ipso Religionis ingressu mens fuerit recta, hisce tamen vanis cogitationibus, quibusdam veluti laqueis, irretietur, et omnes Religionis, quos pertulerit labores, incassum disperdet. Secum igitur haec animo potius evolvat suo: crucem Christo deferam praeunte, qua Demones fugantur, infirmitates sanantur, debiles, et fracti roborantur, sordes criminum eluuntur, labor emollitur. Quae non grave pondus, sed leve, sed delectabile, et animae delitium videtur iis, qui huius brevissimae vitae momentaneis pene laboribus aeterna caeli praemia cupiunt mercari.

Recogitet se Religionis habitum induisse, non ut Deo suas fortunas, res, divitias dicaret: sed corpus, ut illud quotidianis macerationibus menti subigeret; sed honores, et decus humanum, quo contemptui ab omnibus haberetur, sed vitam, ut totam divino conservaret servitio: sed denique animum, et sensus, ut suam penitus abnegaret voluntatem, et genium vilibus cibus, linguam silentio edomaret, et ea faceret, et pateretur, quae se ad caelum eveherent.

Hoc Novitii animo prorsus insideat, se assiduo contra praecipitem propriorum sensuum torrentem enixurum, se eorum aliquando obtemperaturum imperiis, qui domi suae forsani sibi paruissent, viliora se obiturum officia, quae alacri, et prompto animo sunt obeunda. Si hac mente, hoc animo compositus religiosam vitam capessit, ut haec omnia iussus efficiat, et eo se confirmet proposito, ut quaecumque adversa, difficilia, et aspera, Dei, et suae salutis causa sibi existimet toleranda: Age, quicumque ille sit Adolescens, macte animo, et virtute, certamen cum Daemone, cum saeculo, cum proprio sensu impavide infeas, intrepide decerta, certissimam tibi victoriam pollicemur, atque haud dubio ominamur praesagio futurum, ut, praeclare emeritis Religionis stipendiis, in caelo aeterna corona laureatus triumphes.

Caeterum si Religionem adeat, ut mundi molestias, domesticas curas, egestatem, et rerum humanarum difficultates declinet; sciat iste, se in Religione maiores curas et acerbiores difficultates offensurum. Mutet igitur eam intentionem, qua omnia bona opera inficiuntur. *Si lumen quod in te est, tenebrae sunt, ipsae tenebrae quantaerunt?* (Matth. VI. 23). Hoc est, si finis haud rectus erit, operationes ad finem minus rectae erunt: lumen, inquit D. Augustinus, bonam intentionem mentis, qua operamur, tenebras autem ipsa opera appellat.

Postquam Novitius suam animi deliberationem, et causam, qua Religiosus efficitur, declaraverit; suae aetatis etiam annos recenseat, morbos, si qui delitescunt, conditionum, studia, natalia detegat: an inter Clericos, vel Laicos desideret cooptari. In his corporis, vires, et robur requiritur; in illis acre ingenium, perspicax, vividum, docile, idoneum ad disciplinas.

Deferet praeterea de bonis, et probatis moribus testimonia, in quo potissimum considerandum, an frequentaverit sanctissima Sacramenta, an rerum spiritualium habeat aliquam cognitionem. Danda ulterius opera est, ut nostras Constitutiones, Regulas, vivendi rationem praenoscant, ut onus, quod est subiturus, animo multo ante concipiat. Pervidendum ne aliquo corporis vitio sit deformis ita, ut vel risum excitet, vel commiserationem moveat; Sacerdotem enim maxime dedecet in sacrosancto Missae Sacrificio corporis aliqua deformitas.

Si potentioris alicuius viri suffragio enixus aliquis moliri Religionis sibi ingressum deprehendatur; difficilius isti, et cautius aditus pateat Congregationi; potentiorum enim clientela tum comparatur, cum aliquid latet impedimentum.

Nostris porro constitutionibus Religionis aditu prohibentur omnino qui alterius Religionis habitum per quantulamcumque moram detulerit. Qui vero omnia requisita habuerint, et apti cognoscuntur ad Religionis onera perferenda, non statim admittantur, sed per aliquod tempus experiantur Patres, an Spiritus ex Deo sit, nec ne; differendo enim, D. Gregorio teste, crescunt bona desideria, sin minus, languescunt: et si adscribendi in ordinem nostrum desiderium magis effervesceret, tum Adm. R. Patris Gener. iussu ad conventuale Capitulum de eorum receptione referatur. Et quia nostra Congregatio paupertate premitur, qui admittentur, si per eorum fortunas licebit, pro alimentis anni probationis solvant. Caeterum ea omnia servantur, quae de Novitiis Sacrum Concilium Tridentinum praescribit.

FINIS.

## I N D E X.

Praefatio . . . . .	Pag. 5
Prooemium et totius partis divisio . . . . .	» 9
I. De Devotione . . . . .	» 11
II. De Divino Officio . . . . .	» 13
III. De Oratione . . . . .	» 16
IV. De Missa . . . . .	» 21
V. De Sacramentorum frequentia . . . . .	» 25
VI. De Obedientia . . . . .	» 26
VII. De Silentio . . . . .	» 31
VIII. De culpis dicendis . . . . .	» 35
IX. De sensuum exteriorum modestia . . . . .	» 37
X. De vestium modestia . . . . .	» 39
XI. De modestia in cubiculo . . . . .	» 40
XII. De modestia ad mensam . . . . .	» 43
XIII. De modestia in recreationibus . . . . .	» 46
XIV. De conditionibus Novitii . . . . .	» 48

**NOS JOSEPH BESIO**

**PRAEPOSITUS GENERALIS**

**CLERICORUM REGULARIUM SOMASCHENSIVM**

*Cum recudi contigerit librum, Constitutionum  
nostrarum pro Clericis primae et secundae proba-  
tionis, Nos, attentis votis duorum ex nostris Patri-  
bus, quorum revisioni praeditum librum tradidimus,  
hanc novam impressionem adprobamus; et ut typis  
evulgetur, iubemus.*

*Datum ex Collegio nostro S. M. Magdalenae  
Genuae pridie idus Maii, anno 1865.*

**D. JOSEPH BESIO** Praep. Gen.

**D. JOSEPH MUTI** C. R. S.

*a secretis.*

**ERRATA**

**CORRIGE**

p. 6. lin. ult. tirocinium mineatis	tirocinium ineatis
» 14. » ult. munus	munus
» 20. » 26. caenam	coenam
» 29. » 5. scrupolos	scrupulos
» 33. » 21. nebut	nebunt.
» 35. » ult. reproehendenti	reprehendenti
» 56. » 16. nos	non
» 41. » 27. prophani	profani

COGNAC

ATANTA

Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and appears to be a list or a set of instructions.

